



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. I. De matrimonio secundùm se,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

DISPUTATIO PRIMA

De Matrimonio secundum se.

Ad quest. 41. supplementi.



Cum Matrimonium considerari possit, vel ut contractus civilis est, & in officium naturae institutum; vel ut institutione & auctoritate Christi, ad esse Sacramenti, animosque conjugum sanctificandos, evehctum; secundum utramque rationem de eo nobis in hoc Tractatu agendum est; cumque prior consideratio ut fundamentum praesupponatur ad posteriorem, & prius sit (ut ait Apostolus) quod est animale, quam quod est spiritale, de matrimonio ut est in officium naturae prius agemus; deinde illud, ut Sacramentum est, considerabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Matrimonium, seu in quo formaliter & quid dicitur consistat?

§. I.

Quibusdam praemissis, difficultas resolvitur.

Matrimonium à matre dicitur, eo quod inearnat ut uxor mater fiat, inquit D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 26. Et à matre potius quam à patre nuncupatur, eo quod in prole suscipienda & educanda, mater plus operae impendat, ut habetur in capite Ex litteris, de conversione infidelium. Unde dicitur matrimonium, quia *matris munus*, eo quod feminae per contractum matrimonii imponatur munus educandi prolem. Vel, ut alii volunt, dicitur matrimonium, quasi *matrem munus*, quia uxor per matrimonium acquirit virum, quo munatur. Vocatur etiam conjugium, eo quod duos sub eodem veluti iugo societatis perpetuae coniungat. Demum appellatur connubium, & nuptiae, à velo quo ex antiqua caeremonia teguntur virgines & obnubuntur, quando maritis traduntur; vel quia in ipsa solemnitate desponsationis, velamine teguntur conjuges, cum benedictionem nuptialem accipiunt. Id quod antiquissimam consuetudinem esse, aliqui ex Scriptura colligunt: Cum enim Abimelech Saram sororem Abraham esse existimans, sibi accepisset uxorem, & postea à Domino correptus, uxorem esse agnovisset, illamque marito reddere, ei dixit: Ecce mille argenteos d. di fratri tuo, hoc erit in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quicumque perrexeris, memento te deprehensam. Incede bar quippe Sara solus criminibus, more virginum, quare ut non virgo, sed uxor esse cognosceretur, dedit ad emendum sibi velamen quo operiretur, conjugatarum more, mille argenteos; ne alius sororem esse putans deciperetur.

A Porro cum matrimonium sit contractus inter virum & feminam, ad prolem eggendam initus, plura ad sui integritatem & consummationem requirit, nempe ut utrumque viri & feminae consensum, externo signo manifestatum; cuius sui corporis in alium traditionem, & quod inde sequitur, mutuum utriusque in corpus alterius jus, & potestatem eo utendi in omnem vitam lege maritali sibi concessum; mutuum utriusque obligationem ad debitum conjugale ex ipsa reddendum; & demum conjunctionem quandam seu vinculum animorum utriusque, conjugum quod ex mutua eorum obligatione resultat. Quotumque conjugem ligat, ad illud nunquam, quod diu vixerint, dissolvendum; iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth 7. *Mulier* (eadem ratio est de viro)

B alligata est legi quantum tempore vivit. Quatur ergo, in quo illorum matrimonium formaliter & quid dicitur consistat? Pro resolutione.

Dico breviter, matrimonium formaliter & quid dicitur consistere in vinculo illo, quo formaliter conjuges sunt uniti, resultante ex mutua eorum obligatione, seu ex mutuo iure & potestate quam ex mutua traditione utriusque conjugis habet in corpus alterius. Ita communiter Theologi, cum D. Thoma, infra quodlibet 44. art. 1. contra Galatium 104. dist. 27. disp. 1. afferentem in ipsa actione contrahendi, ut consensu conjugibus mutuum jus & dominium in corpore, consistere matrimonii essentiam.

Probat per conclusio, discutendo per singula, supra recensita, & demonstrando in nullo eorum, praeterquam in ultimo, nempe vinculo illo, quo utriusque conjugis animi sunt coniuncti, matrimonium consistere formaliter. Et in primo quod non consistat formaliter in consensu utriusque conjugis, live in actu contrahendi, quo conjuges sua corpora sibi mutuo tradunt, videtur manifestum, quidquid dicat Palacios. Tum quia talis consensus & traditio est causa efficiens matrimonii, subindeque repugnat esse causam formalem illius, causa enim formalis inter se est, efficiens vero inter extrinsecas comparatur. Tum etiam, quia adhuc cessante matrimonio, ut effectus à sua causa realiter distinguitur. Nec valet si dicas, quod licet consensus actualis transierit, remanet tamen & moraliter perseverat consensus habitualis, ac proinde in eo consistere potest formaliter matrimonium.

D Nam tamen conjuges primum suum consensum retractant, adhuc inter eos matrimonium perseverat, cum tamen in eis non permaneat habitualis consensus, qui per subsequenterem dissolutionem revocatus est.

Quod vero matrimonium non consistat formaliter in mutuo iure utriusque conjugis in corpus alterius, vel in obligatione mutua ad debitum

conjugale, non minus certum videtur; tum quia A
tale jus & obligatio cessant, alterius conjugis ad-
ulterio, vel ingressu religionis, ex communi con-
sensu, manente matrimonii consummari vincu-
lo: Tum etiam, quia inter B. Virginem, & B. Jo-
sephum fuit verum matrimonium, quamvis
perpetuo impeditur obligatione reddendi debi-
tum conjugale, non potest ergo formaliter con-
sistere matrimonium, nisi in vinculo illo, quo
formaliter conjuges sunt uniti, resultante ex mu-
tua eorum obligatione.

6 Confirmatur: In eo formaliter consistit ma-
trimonium, quo posito ponitur, & quo ablato
aufertur, juxta regulam quam tradunt Philoso-
phi, ad indagandas rerum essentias: Sed posito
vinculo illo, quo utriusque conjugis animi sunt
conjuncti, ponitur matrimonium, & eo ablato
aufertur: Ergo in eo essentia matrimonii consi-
stet. Unde definitur à Jurisconsultis paragr. 1. In-
stit. de patria potest. & 2. Canquists cap. Illud, de
præsumptionibus, & 27. quæst. 2. paragr. 1. *Maris
& femina conjuncta, in viduam vitæ conjugium
retinens.* A Scholasticis verò cum Magistro in 4.
dist. 27. cap. 1. *Viri mulierque conjunctio maritalis,
inter legitimas personas, inviduam vitæ conjugium
retinens.* Dicitur viri mulierque conjunctio, quia
cùm matrimonium ordinetur ad prolem gige-
ndam, necessarii est inter virum & feminam
ut inter subje & a tota ad hunc finem idonea. Un-
de Deus ab initio non duos viros, aut duas femi-
nas, sed virum & feminam procreavit. Additur
inter legitimas personas, quia omnes personæ non
sunt habiles ad matrimonium contrahendum,
scilicet ad generandum impotentes, cum alio
vel alia matrimonio ligati, aut quovis alio seu
naturalis seu positivo vinculo impediti. Demum
ultima verba explicant distinctionem matrimo-
nii ab aliis unionibus sive conventionibus, ex al-
liis contractibus ortis, quæ ex mutuo consensu
tolluntur, cùm tamen matrimonium sit insolubi-
le.

Ex his inferes cum D. Thoma infra quæst. 44
7 art. 1. in argumento *sed contra*, matrimonium esse
in genere relationis, quæ rectè explicatur per ly
conjunctionem, ut per genus & per ly *maritalem*, ut
per differentiam. Hæc verò relatio est disjuncti-
vantiz, cùm unus conjux ad hanc conjunctio-
nem concurrat, ut principium activum, alter ut
passivum; unde est multiplex ex parte subje & ti,
quamvis ex parte termini & finis sit simplex &
unica; unus quippe est utriusque maritalis con-
junctionis finis, perfectio nimirum prolis gene-
ratio. Secundum quod est multiplex ex parte subje & ti,
significatur his nominibus *uxor & maritus*; secundum
autem quod una, significatur hoc nomine *matrimonium*.
ut ait S. Doctor ibidem in solutione ad 3.

§. II.

Solvuntur objectiones.

8 COntra istam conclusionem objicitur pri-
mo: Matrimonium consistit in fieri, non in
facto esse, sicut alia Sacramenta in usu consisten-
tia: Ergo consistit in mutuo consensu conjugum,
non autem in vinculo maritali, ex mutuo eorum
consensu resultante, cùm tale vinculum sit quid
permanens.

Sed facile respondetur, quod licet matrimo-
nium, quoad suam causam efficientem, consistat
in fieri, seu in aliquo consensu, nimirum in mu-

tuo consensu conjugum; quoad suam tamen
quidditatem & rationem formalem, & quan-
tum ad id quod est res & Sacramentum simul,
consistit in aliquo permanenti, scilicet in vincu-
lo, ex mutuo conjugum consensu resultante, cum
cessante mutuo consensu utriusque conjugis,
adhuc matrimonium perseveret.

Objicitur secundo: Sacramentum debet con-
sistere formaliter in aliquo sensibili: Sed vincu-
lum illud, quo formaliter conjuges sunt uniti,
non est sensibile, cùm sit relatio, quæ non est ac-
cidents sensibile: Ergo matrimonium non potest
consistere formaliter in vinculo conjugali.

10
11
Respondetur ex D. Thoma infra quæst. 44. ar-
tic. 1. ad 2. quod quamvis ipsa relatio non sit sensibile ac-
cidents, tamen cause ejus possunt esse sensibiles, nec in Sa-
cramento requiritur quod sit sensibile illud quod est res &
Sacramentum; hoc enim modo se habet in hoc Sacramen-
to prædicta conjunctio; sed verba exprimentia consensum
quæ sunt Sacramentum tantum, & cause prædicta con-
junctionis, sunt sensibiles.

Objicitur tertio: In eo formaliter consistit
matrimonium, quo posito ponitur, & quo abla-
to aufertur, ut supra dicebamus: Sed posito con-
sensu mutuo conjugum, & jure quod per illum
quilibet illorum acquirit in corpus alterius, pon-
itur matrimonium, eoque sublato, aufertur:
Ergo in tali consensu & jure, matrimonium
consistit formaliter.

12
13
Respondetur distinguendo Majorem: In eo for-
maliter consistit matrimonium, quo posito, tan-
quam principio formali & constitutivo, ponitur,
concedo Majorem. Quo posito tanquam prin-
cipio radicali solum, & fundamentali, nego Ma-
jorem; & sub eadem distinctione Minor, nego
Consequentiam. Sicut ergo posita generatione,
ponitur paternitas in generante, & ea sublata tol-
litur, non quia paternitas consistat formaliter in
generatione, sed quia ea ut à fundamento de-
pendet & conservatur quoad existentiam; ita si-
militer, posito mutuo conjugum consensu, & ju-
re, quod per illum quilibet illorum acquirit in
corpus alterius, ponitur matrimonium, & eo ab-
lato, aufertur, non quod in eo formaliter consi-
stat, sed quia ab illo radicaliter & fundamentali-
ter pendet.

Objicies quarto: In eo matrimonii essentia
consistit, quod assumitur à Deo tanquam instru-
mentum ad causandam gratiam in animis con-
jugum: Sed vinculum conjugale ad talem gra-
tiam causandam non assumitur; cùm enim sit re-
latio, ut supra ex D. Thoma dicebamus, non po-
test aliquid efficere, etiam præcisè ut instru-
mentum: Ergo essentia matrimonii non consi-
stet in vinculo conjugali.

Respondetur aliqui recentiores Thomistæ, ne-
gando Minorem, & ad illius probationem di-
cunt, quod licet relatio naturaliter non sit activa
etiam præcisè ut instrumentum, bene tamen su-
pernaturaliter, & per ordinem ad potentiam Dei
absolutam potest enim (inquiunt) Deus quoli-
bet ente in rerum natura existente, quantumvis
minimo & relativo, uti tanquam instrumento ad
producendum quodcumque voluerit.

14
15
Sed hæc solutio displicet, & facile confutari
potest; cùm enim instrumentum sit in genere cau-
sæ efficientis, implicat quod Deus assumat ut in-
strumentum ad producendum effectum aliquem
supernaturalem, aliquid quod nullo modo est ac-
tivum; unde Deus nec materiam primam, nec
quantitatem, ut instrumenta assumere potest, eo
quod

quod illa non sint activa, ut communiter docent Philosophi; Ergo cum etiam relatio omnis activitatis sit experta, non potest assumi. Deo ut instrumentum ad producendam gratiam.

17 Confirmatur: Omne instrumentum ex virtute sibi propria debet habere actionem praevisam per quam fiat capax ut eleveur a causa principali ad producendum eius effectum, ut docent communiter nostri Thomistae in secundo physicorum: Sed quod nullo modo est activum, non potest ex viribus propriis talem actionem praevisam elicere, ut de se constat: Ergo nec assumi a Deo ut instrumentum ad causandam gratiam. Hac ergo solutione praetermissa,

18 Respondet negando Majorem, ut enim recte ait Soto in 4. dist. 26. quaest. 2. art. 3. non semper requiritur, quod Sacramentum gratiam cauter, per suam quidditatem, & per id quod est res & Sacramentum simul sed sufficit quod illam conferat per suam causam efficientem, & per id quod est Sacramentum tantum; subindeque sufficit quod in matrimonio mutus conjugum consensus, qui est causa efficiens illius, & Sacramentum tantum (ut disp. sequenti dicemus) assumatur ut instrumentum ad causandam gratiam Sacramentalem in animis conjugum.

ARTICULUS II.

Utrum homo non solum habeat naturalem inclinationem ad matrimonium, sed etiam praeceptum de usu illius, & quale sit, & quos obliget tale praeceptum?

§ I.

Quatuor conclusionibus difficultates istae resolvuntur.

19 Dico primo, homo naturaliter inclinatur ad matrimonium, ita D. Thomas hic art. 1. in corp.

Probatur ratione quam ibidem insinuat: Sicut homo naturaliter inclinatur ad conservationem sui ipsius, ita etiam, imò magis, ad conservationem propriae speciei; quia bonum speciei est universalius, quam bonum individui: Sed matrimonium est medium necessarium ad conservationem speciei in esse rationali; quia licet per fornicationem, & vagum concubitum, possit species multiplicari & conservari in esse naturali non tamen in esse rationali, eo quod ex simplici fornicatione regulariter, ut plurimum, & per se loquendo sequatur mala educatio proles: Ergo homo habet naturalem inclinationem ad matrimonium, velut ad convenientem speciei suae conservationem & propagationem: Natura enim (inquit S. Doctor in resp. ad 4.) non solum intendit esse in prole sed etiam esse perfectum, ad quod requiritur matrimonium. Unde contraetus matrimonii est de jure naturali, nempe quia naturali instinctu constituitur, ut habetur in principio Digestorum, ubi sic dicitur: *Ius naturae est, &c.* Hinc descendit maris & feminae conjunctio, quam nos matrimonium appellamus. Et in cap. *Ius naturale* dist. 1. sumpto ex Iulio libro 5. Etymologiarum cap. 4. sic habetur: *Ius naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique in instinctu naturae, non constitutione aliqua, habetur, ut viri & feminae conjunctio.*

A Dico secundo, matrimonium non solum ex inclinatione & instinctu naturae, sed etiam ex praecepto, ita communiter Theologi ex praecepto Michaelis Medina lib. 4. de sacramento matrimonii continentia, controversia a nobis docet nullum stare praeceptum de matrimonio.

Probatur breviter conclusio: Media maxime necessaria propter finem maxime intentionem naturae, sicut de praecepto, ut patet in longioribus; quia quia est maxime necessaria ad conservationem individui a natura intentionem, cadit sub praecepto: Sed matrimonium est medium maxime necessarium, propter finem maxime intentionem naturae, scilicet propter propagationem generis humani in esse rationali, ut coheret dictis conclusionibus praecedentibus: Ergo matrimonium non solum est ex instinctu & inclinatione naturae, sed etiam ex dicto praecepto.

Dico tertio, praeceptum de matrimonio non esse positivum, sed naturale. Est contra Sotum in 4. dist. 26. quia ubi fatetur quidem dari praeceptum de matrimonio, sed negat quod sit praeceptum naturale.

Probatur primo conclusio ratione fundamentalis: Qui intendit finem, praecipit medium necessarium ad ipsum: Sed natura intendit propagationem generis humani, ut enim propagatur, diversum sexum constituit, in specie humana, quod non fecit in Angelis; in coelo enim Angelus & Angelus, ut bellè Tertullianus ait; cum enim Angeli sint incorruptibiles, propagationem non indigent: Ergo natura praecipit matrimonium, quod est medium ad propagationem generis humani necessarium.

Confirmatur: Ideo praeceptum de sumendo cibum, est iuris naturalis, quia finis talis sumptionis, scilicet conservatio individui, intenditur a natura: Atque similiter finis matrimonii, videlicet conservatio speciei humanae in esse rationali, est intentus a natura; imò magis natura eam intendit, quam conservationem individui quia ut supra dicebamus, bonum speciei est universalius quam bonum individui: Ergo praeceptum de matrimonio est iuris naturalis.

Probatur secundo: Praeceptum de matrimonio non est abrogatum in lege gratiae: Ergo non est praeceptum positivum, sed naturale. Antecedens est certum, & docetur a D. Thomas hic art. 1. Consequentia vero probatur. Nullum est assignabile praeceptum positivum, vel legis naturae, vel legis scriptae, quod non cessaverit in lege evangelica, solum enim naturalia pertinet ad mores, & super naturalia fidei pertinet: Ergo si praeceptum de matrimonio non sit abrogatum in lege gratiae, non est positivum, sed naturale.

Dico quarto, praeceptum de matrimonio pro tempore necessitatis, quo paucitas hominum exigeret ut quilibet generationi vacaret, primo & per se obligaret Rem publicam, & rectores illius, ut nimirum aliquos cogere ad nubendum: Secundario vero obligaret etiam singulos in particulari, ut per matrimonium bono communis convenirent, extra casum vero necessitatis, & quando sufficienter est propagatum genus humanum tale praeceptum nec singulos in particulari, nec ipsam Rem publicam, vel ejus rectores obligat.

Prima pars patet, nam finis matrimonii, nimirum propagatio & conservatio speciei, est bonum commune: Sed & Respublica & ejus rectores per se respiciunt bonum commune: Ergo per se pertinet ad illos spectare curare ut ipsa necessitas ab-

qui matrimonium contrahant, & per ejus usum bono communi propagationis & conservati-
nis speciei subveniant.

Secunda verò pars hac ratione suadetur: Pro-
pagatio generis humani est magis necessaria,
quam defensio Reipublicæ: At singuli in parti-
culari tenentur Reipublicam tueri in casu ex-
tremæ necessitatis: Ergo multò magis tenen-
tur omnes in particulari ad contrahendum ma-
trimonium in casu necessitatis, ad conservatio-
nem speciei, & propter bonum commune. Unde
initio mundi, & post diluvium, præceptum de
matrimonio singulos in particulari obligabat.
Nunc verò, sufficienter multiplicato humano
genere, non est cur dicamus singulos ad matri-
monium obligari, vel communitatem, aut Prin-
cipes, ut cogant aliquos ad illud inendum, cum
ad matrimonium homines per se sint satis pro-
pensi. Unde Hieronymus Joviniano respondens
ait: *Dices si omnes virgines fuerint, quomodo subsistet
mundus? Noli metuere, ne omnes virgines fiant, difficilis
res est virginitas, & ideo rara.* Ex quo probata ma-
net tertia pars conclusionis, quæ asserit, extra ca-
sum necessitatis, & quando sufficienter propa-
gatum est genus humanum, præceptum de ma-
trimonio, nec singulos in particulari, nec totam
Reipublicam, vel rectores ejus obligare; quia
finis talis præcepti obtinetur per voluntatem
liberam hominum in particulari. Sicut ego ex-
cutor à præcepto elemosynæ respectu alicujus
pauperis, si aliquis me præveniat, largiendo illi
elemosynam. Unde S. Thomas hic art. 2. ad 1.
loquens de præcepto matrimonij ait: *Præceptum
illud non est revocatum, nec obligat unumquemque nisi
si illo tempore, quo paucitas hominum exagebat, ut
quilibet generationi vacaret.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusio-
nem: Si matrimonium sit ex inclinatione
naturæ, sequitur quod virginitas & celibatus,
quæ sunt illi contraria, sint contra inclinatio-
nem naturæ, & consequenter quid mali; quan-
doquidem quod est contra inclinationem natu-
ralem, malum est: Sed hoc dici nequit: Ergo nec
illud.

Respondео negando sequelam Majoris, cum
enim inclinatio naturalis in homine ad matri-
monium, sit rationalis, tunc solum naturaliter
inclinat & obligat; quando recta ratio dicit il-
lud esse necessarium ad conservationem speciei;
ex quo fit quod virginitas & continentia non
semper matrimonio sint adversa, sed solum
quando recta ratio dicit, illud esse necessarium
ad conservationem speciei; & tunc servare vir-
ginitatem est illicitum & malum. Quod explica-
ri potest exemplo inclinationis naturalis quam
habet homo ad sumendum cibum, eo ipso enim
quod non sit ad sumendum semper cibum, sed
solum quando recta ratio dicit illud esse neces-
sarium ad conservationem individui, abstin-
entia à cibo, non semper contrariatur sumptioni
cibi, considerata secundum quod ex inclinatio-
ne naturæ.

Obijcies secundo contra secundam conclusio-
nem: Ad propagandum & conservandum alias
species animalium, sufficit in animalibus incli-
natio naturalis, cum delectatione: Ergo & in ho-
mine ad propagationem suæ speciei, subinde-
que superfluum est, huic inclinationi addere al-
iquid præceptum de matrimonio.

Respondео, concessio Antecedente, negando
consequentiam & paritatem: disparitas est,
quod homo, non obstante inclinatione naturali
ad propagandum suam speciem, remanet tamen
liber ad consentiendum vel dissentiendum tali
inclinationi; & consequenter ne desit ab usu
matrimonij, & procreatione liberorū, vel pro-
pter fecunditatem, vel propter alia incommoda, necessa-
rium est præceptum de matrimonio & ejus actu.

Dices: Consilia Evangelica non adversantur
præceptis: Ergo cum detur consilium de virgini-
tate, ut patet ex illo Apost. 1. ad Corinth. 7. *Con-
siliū autem do*, nullum potest esse præceptum
de matrimonio & ejus actu.

Respondео, concessio Antecedente, negando
Consequentiam; quia quando matrimonium ca-
dit sub præcepto (tempore scilicet necessitatis,
quo paucitas hominum exigeret, ut quilibet ge-
nerationi vacaret) virginitas non est in consilio;
& contra quando virginitas est in consilio sicut
est modò, sufficienter multiplicato humano ge-
nere, non obligat præceptum de matrimonio.

Obijcies tertio contra tertiam conclusionem:
Deus dixit primis parentibus Genes. 2. *Crescite
& multiplicamini, & replete terram*: Sed forma il-
la loquendi exprimit præceptum de matrimo-
nio: Ergo datur præceptum positivum de illo.

Respondet Pererius lib. 4. in Genesim, his
verbis non exprimi præceptum, sed benedictio-
nem quandam subjunctam nuptiis, sicut aliis si-
milibus, quæ brutis præcepti incapacibus dicun-
tur ibidem versu 22. Verum nihil obstat quomi-
nus utraque imperativè ut sonant dicta sint, sed
diversimodè, pro diversâ capacitate hominum
& brutorum. Unde melius responderetur, verbis
illis contineri solum declarationem naturalis
præcepti de matrimonio, non verò præceptum
positivum de illo; idque non levi conjecturâ
constare, ex occasione quâ dicta sunt verba illa
Genes. 1. & iterum post diluvium quando reve-
ra vigeat naturale præceptum. Adde tamen
cum Basilio Pontio, declarationem illam ad
modum benedictionis prolatam fuisse à Deo, ex
amore erga genus humanum, cujus propagatio-
nem volebat, ut constet ex sacro textu, ubi sic di-
citur, *Benedixitque Deus illis, & ait: Crescite & multi-
plicamini.* Unde Augustinus 14. de civit. cap. 12.
Nos autem nullo modo dubitamus; secundum benedi-
ctionem Dei crescere & multiplicari, donum esse nu-
ptiarum. Et paucis interpositis: *Huic quippe operi
Dei etiam benedictio subjuncta est.*

Obijcies quartò contra eandem conclusio-
nem: Omne præceptum naturale, quodcumque
illud sit, vel continetur in decalogo, vel saltem
ad aliquod ex præceptis in eo contentis reduci-
tur: Sed præceptum de matrimonio, neque conti-
netur inter præcepta Decalogi, neque apparet
ad quod ex præceptis in eo contentis reduca-
tur: Ergo non est naturale, sed positivum.

Huic objectioni tripliciter respondent Theo-
logi: Quidam enim dicunt, præceptum de ma-
trimonio reduci ad præceptum de amore sui,
quod est primum ad præcepta decalogi; homo
enim ex amore sui intendit seipsum conservare,
eo modo quo potest; cumque non possit perpe-
tuò se conservare in individuo, intendit conser-
vare suam speciem. Alii volunt quod reducat
ad præceptum de non occidendo; sicut enim ille
qui non succurrit pauperi extreme indigenti, di-
citur illum occidere, juxta illud Ambrosij: *Si non
parisisti, occidisti*; ita qui in extrema necessitate nō
contrahit

contrahit matrimonium, propter conservatio-
nem speciei, occidere dicitur. Alii demum alle-
runt, praeceptum de matrimonio reduci ad prae-
ceptum de dilectione proximi, quia conservatio
speciei, & multiplicatio ejus, veluti pertinet ad
bonum proximi. Omnes istae sententiae probabi-
les sunt, licet tertia videatur probabilior.

36 Ex dictis intelliges, falsam esse aliquorum sen-
tentiam, qui docent praeceptum de matrimo-
nio revocatum fuisse ante diluvium, sufficienter
multiplicato genere humano, & post diluvium
iterum fuisse latum, quando Deus dixit Noë &c
filiis ejus: *Crescite & multiplicamini, & replete ter-
ram.* Cum enim praeceptum de matrimonio ex
jure naturali ortum habeat, semper obligavit,
licet non pro semper, & pro omni differentia
temporis (quod ceteris praeceptis affirmativis
commune est) subindeque nunquam fuit revo-
catum, licet aliquando ejus obligatio cessaverit,
quando nimirum sufficienter multiplicatum
fuit genus humanum, & post diluvium rursus
obligare coeperit, quia tunc adfuit necessitas
propagandi genus humanum.

37 Querunt hic aliqui, an in casu quo periculum
esset, ne genus humanum periret, tenerentur
Monachi, non obstante votorum obligatione,
ad contrahendum matrimonium? Cui quæstioni
Soto & Victoria affirmativè respondent: Si e-
nim (inquiunt) tempore necessitatis Religiosi
tenerentur defendere Rempublicam, a fortiori &
propagare genus humanum per matrimonium;
quandoquidem hæc propagatio est magis ne-
cessaria, quam defensio Reipublicæ. Alii verò
cum Petri & Ledesma negativè respondent, hoc
ducti fundamento. Præceptum de matrimonio
obligat quidem in extrema necessitate omnes
qui possunt subvenire tali necessitati, sed non
illos quibus hoc non licet, quales sunt voto so-
lemni religionis impediti: sicut enim extra tem-
pus extremæ necessitatis, potest quis absolute
tradere totam suam substantiam pauperibus, &
si postea fuerit extrema necessitas, excusatur à
præcepto elemosynæ. Ita similiter extra casum
necessitatis extremæ speciei humanæ propaga-
ndæ, possunt aliqui se totos Deo absolute per vo-
ta solemnia consecrare, & si postea adesset ex-
trema necessitas contrahendi matrimonium,
excusarentur ab ejus præcepto. Neque exem-
plum de obligatione eorum ad defendendum
Rempublicam, oppositum concludit; defensio
siquidem Reipublicæ non est contra eorum
professionem, sicut usus matrimonii adversatur
totali eorum consecrationi Deo. Qui modus di-
cendi videtur probabilior. Verum hic casus
plane metaphysicus est, unde in ejus resolutio-
ne diutius immorari non expedit.

ARTICULUS III.

*Utrum polygamia, seu uxorum sub uno viro
pluralitas, sit contra finem matrimonij,
subindeque contra legem naturæ?*

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiae.

38 Notandum primò ex D. Thoma infra quæst.
65. art. 1. in corp. quod illa actio dicitur es-
se contra legem naturæ, quæ non est conveniens

fini debito quem natura principaliter vel le-
gendariò intendit, vel quia omnino impossi-
bilem (ut nimia superfluitas vel defectus con-
stitutionis impedit salutem corporis, quæ est prin-
cipalis finis conjugationis; & bonam ita modum
in negotiis exercendis, quæ est finis ejus se-
cundarius) vel quia facit difficilem aut minus de-
centem pervectionem ad finem principalem vel se-
cundarium; sicut inordinata comestio quantum
ad tempus indebitum, aliquando nocet corpo-
ris sanitati, licet eam non omnino destruat.

Notandum secundò ex eodem S. Doctore
idem matrimonium triplicem finem habere, scilicet
num principalem, scilicet proles procreationem
& educationem, qui quidem finis competet so-
mini secundum naturam sui generis, unde & a-
liis animalibus est communis, ut dicitur Ethic.
Alio secundarium, qui consistit in mutuo obli-
quio, in communicatione bonorum & operum
inter conjuges; & huc in solis hominibus, non
verò in aliis animalibus reperitur. Denique ma-
trimonium, ut est inter fideles nova legalium
finem nobiliorum & præstantiorum habet, nem-
pe significationem conjunctionis Christi cum
Ecclesia, sub qua ratione habet quod sit Sacra-
mentum novæ legis, à Christo institutum ad
significandam & repræsentandam ineffabilem
sanctam unionem juxta illud Apostoli ad Eph. 5.
*Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in
Christo & in Ecclesia. Primum sive inquit S. Doctore
respondet matrimonio hominum, inquantum est
secundum, inquantum est hominibus, inquantum est
fidelibus.*

His prænotatis, antequam referamus senten-
tias, & veriores seu probabiliores eligamus,
duo adhuc præsupponenda sunt, in quibus omnes
Theologi conveniunt. Primum est, pluralitatem
virorum sub una uxore, esse contra legem natu-
ræ, cum sit contra utrumque matrimonij finem,
primarium & secundarium. Contra primarium
quidem, qui est proles procreatio & educatio,
quia diversorum virorum heterogenia seminum
mixtio, vel prorsus impedit procreationem pro-
lis (ut constat in meretricibus, quæ ob hujusmo-
di diversorum seminum mixturem steriles effi-
ciuntur) vel incertam reddit prolem, ex parte
patris, cui potissimum educanda proles cura in-
cumbit. Contra secundarium vero, qui est paci-
fica familiarum gubernatio; quia pax & tranqui-
litas familiarum, sub gubernationum pluralitate ser-
vari nequit. Unde nullam unquam legem vel consue-
tudinem permissum fuit, unam mulierem habere
plures viros, ut ait S. Thomas art. citato ad 7.
& 3. contra Gentes cap. 124. & illius expedit
Augustinus libro de bono conjugali cap. 17. his
verbis: *Non sicut uni viro plures habere debent uxores,
ita a uni femina plures viros, nec prorsus quicquam
scit, si forte illa parere possit, ille generare non possit.*
Occulta enim lege natura amant singularitatem,
quæ principatur. Et paulò post: *Ducem seu pater-
nis maritis vivis, nullam legitimam servilem san-
ctionem plures autem feminas a viro legimus con-
tineri.*

Secundum quod omnes et certum supponunt,
est, non solum pluralitatem virorum sub una uxore,
sed etiam pluralitatem uxorum sub uno viro,
repugnare fini quem matrimonium habet in lege
Evangelicæ; quia cum carnis unitatem tollat, illa
tamque in plures dividat, significare & repræse-
tare nequit conjunctionem Christi cum Ecclesia,
quæ est una. Unde S. Thomas 4. contra Gentes
cap.

cap. 78. sic dicitur, Per conjunctionem maris & feminae, Christi & Ecclesia coniunctio designatur: oportet verò quod figura significatio respondeat: coniunctio autem Christi & Ecclesia est unius ad unam perpetuò habendam: est enim una Ecclesia, secundum illud Cantic. 6. Vna est columba mea, perfecta mea, nec unquam Christus à sua Ecclesia separabitur, dicit enim ipse Matth. ultimo: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, & ulterius, semper cum Domino erimus, ut dicitur. 1. Thessal. 4. Necesse est igitur, quod matrimonium, secundum quod est Ecclesiae sacramentum, sit unius ad unam indivisibiliter habendam. Igitur in lege Evangelica polygamia est profus illicita, sit definit Tridentinum sess. 24. can. 2. his verbis: Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullà lege divinà esse prohibitum, anathema sit. Colligitur etiam ex Matth. 19. Marci 10. & Luc. 16. ubi Christus moechum & adulterum vocat, qui dimissa propria uxore, etiam fornicationis causà, aliam ducit. Si enim uxore dimissa adulterat quis, a fortiori qui, retentà priori, secundam ducit, ut rectè arguit Innocentius III. in cap. Gaudemus de divortio ubi sic habet: Sanè veridica hac sententia (nulli scilicet Christiano licere habere plures uxores) probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio: Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur. Si ergo uxore dimissa, alia de iure non potest, fortius & ipsa retentà. Per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cum non ad in paria iudicentur, circa matrimonium reprobendam.

42 Hæc sunt certa & indubitata apud omnes Theologos, sed difficultas est, & celebris controversia inter illos, an polygamia, seu pluralitas uxorum sub uno viro, sit contra legem naturæ, & finem primarium, vel saltem secundarium matrimonii? Durandus enim in 4. dist. 33. quæst. 1. art. 1. Abulensis 1. Regum 8. quæst. 25. & cap. 19. Matth. quæst. 30. ad 2. Joannes Gerson 2. p. suorum operum in regulis moralibus cap. de Matrimonio, Cajetanus supra caput 4. & 16. Genesim, nec non supra 10. Matthæi, Michaël Medina lib. 4. de sacrorum hominum continentia, cap. 9. & ex Patribus Societatis Coninckus, Amicus, & Martinonius, docent pluralitatem uxorum, nec finem primario, nec secundario matrimonii, adversari, subindeque non esse contra legem naturæ. Petrus verò de Ledesma, in aliud extremum lapsus, de matrimonio quæst. 65. art. 1. concl. 2. affirmat illam esse contra finem non solum secundarium, sed etiam primarium matrimonii. Alii verò dicunt, eam adversari quidem legem naturæ, & finem secundario matrimonii, sed non primario. Quæ sententia verior & probabilior videtur. Unde sit

§. II.

Hæc sententia ut probabilior elegitur.

43 Dico igitur, polygamiam, seu uxorum pluralitatem, sub uno viro, esse contra legem naturæ, non tamen directè finem primario matrimonii, sed secundario tantum adversari. Ita D. Thomas infra quæst. 65. art. 1. in corp. ubi hæc scribit: Pluralitas uxorum, neque totaliter tollit, neque aliquatenus impedit matrimonii primum finem, cum unus vir secundum plures uxores secundandus, & educandus sit ex eis natus, sed secundarium finem,

Tom. V.

est non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, & etiam quia communicatio plurium in uno officio, causat litem, sicut signi corrumpuntur ad invicem, & similiter plures uxores unus viri. Quibus verbis utramque partem nostræ conclusionis & docuit & probavit. Primam quidem, quia quod adversatur fini secundario matrimonii, est contra legem naturæ de ipso matrimonio: Sed polygamia quæ quis uno eodemque tempore plures uxores habet, adversatur fini secundario matrimonii: Ergo est contra legem naturæ de ipso matrimonio. Major patet, Minor probatur, quia finis secundarius matrimonii est tum remedium contra concupiscentiam, quo non semper ad votum uti potest uxor, cuius vir pluribus copulatus est uxoribus; tum domestica gubernationis pax & tranquillitas, quæ sub pluralitate uxorum non nisi difficile servari potest, cum zelotypia laborat fragilis feminarum sexus, & fieri nequeat, ut viri affectus non magis erga unam feratur, quam erga aliam. Unde Sara Genes. 21. Agar domi tolerare non poterat, & Rachel Genes. 30. Lix propter fecunditatem invidebat. Ad id quod non servantur in polygamia paria iura inter virum & uxorem, nam singula uxores tradunt plenum dominium sui corporis in virum, cum tamen vir non tradat plenum sui corporis dominium in singulas uxores; unde non est iustus contractus, cum non servet ex utraque parte iustitia legis. Id confirmat S. Thomas 3. contra Gent. cap. 124. exemplo horum animalium in quibus patri inest aliqua sollicitudo de prole, nam in his unus mas non habet nisi unam femina, sicut patet in columbis, & aliis avibus, quæ simul nuntunt pullas; præsertim vero in turture, cuius hoc singulare videtur, ut post sui comparis mortem, alium ulterius non quærat cui jungi possit: Hinc merito Scriptura mysticam sponsam turturi comparat, ut pie ac eleganter expendit D. Bernardus serm. 40. in Cantica. Cur (inquit) ejus gemitus sicut turturis? Pudica est avicula, & conversio ejus non cum multis, sed solo digere fertur contenta compare; ita ut si eum amiserit, alterum non requærat, sed sola deinceps conversetur. Tu ergo qui hæc audis, non otiose audi. Esto solitarius quoque sicut turtur, ut soli omnium serves teipsum, quem præ omnibus elegisti.

Potest insuper eadem pars suaderi, ex ipsa primæva matrimonii institutione, in qua Deus non pluribus sed uni mulieri virum copulavit; nec dixit quod vir adhereret uxori, sed uxori; nec quod essent tres vel plures, sed duo in carne una. Unde Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 5. Duas (inquit) tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humana conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit, & unam feminam tantum, cui potuit utique si veller duas viros tribuere, sed noluit. Scriptum quippe est: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ: non dixit uxori, sed uxori; Et iterum: Erunt duo in carne una, masculus scilicet & femina in carne una, & non tres aut plures. Item Hieronymus exponens verba illa Christi Matth. 19. Qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos, subdit: Dicendo masculum & feminam, ostendit secunda vitanda conjugia: non enim ait masculum & feminas, sed masculum & feminam.

Vuu

minam,

minam, ut unus conjugii consortia necterentur.

45 Demum probatur eadem pars hoc discursu. Si polygamia non esset contraria legi naturæ, sed per eam licita, à principio orbis conditi, quando propagari cepit genus humanum, & continuò post diluvium, quando reparari cepit, Deus eam instituisse, utpote valde tunc temporis conducentem ad propagationem generis humani: Sed illis temporibus aliquid tale institutum à Deo, & consequenter factum ab hominibus, non legimus; solum enim Genes. 4. dicitur Lamech accepisse duas uxores, qui scireo reprehenditur à D. Hieronymo lib. 1. contra Jovinianum, cap. 8. & à Nicolao 1. ad consulta Bulgarorum cap. 5. quorum verba infra paragrapho 4. referemus: Ergo signum est, quod lex naturæ eo tempore polygamiam, seu pluralitatem uxorum sub uno viro, tanquam sibi contrariam prohibebat.

46 Confirmatur: Si polygamia non esset jure naturæ prohibita, antiqui Patres sub lege naturæ, vel scripta, eam licite uti absque dispensatione potuissent: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Major patet, nam polygamia tempore legis naturæ, vel legis scriptæ, nullo erat præcepto Dei positivo prohibita; unde si lege naturæ non prohiberetur, potuissent licite eam uti antiqui Patres, absque dispensatione. Minor verò probatur ex Innocentio III. cap. Gaudemus, de divortis, ubi sic ait: *Nec ulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.* Similiter Chrysostomus homil. 56. in cap. 30. Genes. docet consuetudinem habendi plures uxores, fuisse iniquam, citra divinam dispensationem.

47 Secunda pars conclusionis, quæ asserit polygamiam, seu uxorum pluralitatem sub uno viro, fini primario matrimonii non adversari, probatur primò ex D. Thoma supra citato, expressè dicente, solam pluralitatem uxorum, neque totaliter tollere, neque aliquam impedit primarium finem matrimonii. Nec valet quod ait Petrus de Ledesma, D. Thomam loqui de fine primario matrimonii, præcisè quoad proles generationem, non verò quoad ipsius educationem. Nam verba S. Doctoris hæc sunt: *Pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliquam impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoris fecundandis; & educandis filiis ex eis natis.* Ex quibus liquet, ipsum loqui de fine primario matrimonii, non solum quoad proles generationem, sed etiam quoad ipsius educationem.

48 Probatur secundò eadem pars ratione quam sanctus Thomas verbis illis insinuat: Potest unus vir non solum plures uxores fecundare, sed etiam educationi & institutioni filiorum qui ex eis haberi possunt, sufficienter providere: Atqui in illis duobus præcisè consistit finis primus matrimonii: Ergo polygamia non adversatur directe & immediate fini illi, sed tantum fini secundario, videlicet mutuo obsequio, societati, & communicationi operum inter utrumque conjugem.

49 Probatur tertio: Deus totum populum Judaicum in polygamia seu uxorum pluralitate dispensavit: At si illa esset contra finem primum matrimonii, Deus talem dispensationem toti Judæorum populo non concessisset: Ergo uxorum pluralitas primo fini matrimonii non adversatur, sed tantum fini secundario. Major

A constabit ex infra dicendis. Minor verò probatur ex doctrina D. Thomæ in 2. 2. q. 6. ubi dicitur, quod licet postea dispensare etiam contra prima præcepta legis naturæ, ut patet in dispensatione facta Abrahæ in occasione filii innocentis, talem tamen dispensationem non fieri communiter ad omnes, sed ad aliquas singulares personas, sicut etiam in contrariis accidit: At si uxorum pluralitas contra finem primarium matrimonii, prohibitionem polygamie numeranda erit inter prima præcepta legis naturæ, primum enim præceptum naturale in unoquoque genere est de primatu, ne naturali talis generis, & de contrariis vitandis: Ergo si uxorum pluralitas ellet contra finem primarium matrimonii, Deus in ea totum Judæorum populum non dispensasset, sed solum cum aliquibus singularibus personis, puta cum Patriarchis, Regibus, & Tribuum capitibus.

Ad majorem hujus secundæ partis intelligetiam, observandum est, quod quando dicitur, polygamiam fini primario matrimonii non adversari, sed tantum secundario, hoc intelligi debet de polygamia, quæ certum dicitur numerum uxorum, quæ unicuique viri fecundare potest si enim tantus esset illarum numerus, quod cum ad illas fecundandas non sufficeret, fini primario matrimonii talis polygamia sine dubio repugnaret, quia multitudo illa conjugum sterilitatem causaret, ut observat Plutarchus in 2. Li. curgi, & libello de garrulitate, & lib. 7. de pietate Philosophorum, & in Salomone, cuius fuerunt Regina & concubinae, manifestum est. Mirum enim, quod ex tot uxorum & concubinarum gregibus, non nisi masculum unum prolem Salomon suscepit, nempe Roboam, & duas præterea filias Eraphet & Basemat, ut dicitur 4. Regum. 11. unde de illo hæc ait Suidas: *Ex mille uxoris solus illi natus est Roboam filius: & ipse ex alienigena Naama Ammonitide, indigena imperio.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

Contra primam partem conclusionis obijciuntur primò D. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 4. sic habet: *Cum Abraham dixit Agar, non commisit in legem, sed legem præcepit: Ergo supponit quod nondum erat lex vetans pluralitatem uxorum, ac subinde quod hæc lex non est naturalis.* Item D. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 47. docet pluralitatem uxorum factam esse licitam per consuetudinem: *Quando iniquitas erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen est, quia mos non est: Ergo cum consuetudo prævalere non possit contra jus naturæ, pluralitas uxorum non adversatur legi naturæ; imò ait quod non erat contra aliquod præceptum, quia nulla lege erat prohibita.*

Confirmatur: Idem S. Doctor lib. 1. de nuptiis cap. 2. & lib. de bono viduitatis cap. 7. probat virorum pluralitatem naturæ matrimonii non adversari, non autem uxorum multitudinem, ex eo quod vir caput sit, ac principem in familia locum obtineat, femina autem subiecta sit: At ea principii dominantis natura est, ut singularitatem amet, secus autem est de subiecti naturæ; ut in corpore animato, ut cum solum est caput, & multi pedes, & in qualibet familia plu-

res servi uni Domino subiunguntur: Ergo ex Augustini doctrina, licet pluralitas virorum sub una uxore, sit contra jus naturæ, non tamen pluralitas uxorum sub uno viro.

Ad objectionem respondeo, sensum verborum Ambrosii esse quod Abraham dicens Aggar prævenit legem positivam, quæ nondum prohibebat polygamiam; cum quo stat quod lex naturæ, iam ipsam prohiberet. Augustinus verò non loquitur absolute, sed tantum suppositâ divinâ dispensatione, quæ consuetudinem induxit in lege Mosâica de polygamia, & eam fecit esse licitam: nunc autem quia nulla est dispensatio, quæ morem faciat licitum, non licet. Quando verò addit, quod habere simul plures uxores, non erat contra aliquod præceptum, quia nullâ lege prohibitum erat, loquitur præcisè de lege positiva, ita ut sensus propositionis ejus sit, polygamiam in veteri testamento non fuisse peccatum, quia non erat contra legem positivam; legi autem naturæ licet adversaretur, tamen erat quoad hoc dispensatio.

Ad confirmationem verò dicendum; mentem Augustini in ea comparatione quam facit locis citatis, capitis ad pedes, & domini ad servos, solum esse ostendere, non ita juri naturæ adversari pluralitatem uxorum sub uno viro, ac pluralitatem virorum sub una uxore.

Obijciunt secundò universalis consensus fere omnium nationum ac gentium, quæ nunquam polygamia ut matrimonio legibus adversam damnaverunt, quin factò ipsæ eam approbaverunt; nec tantum barbaræ & vulgares, sed etiam exculta & sapientes, ut Athenienses, qui teste Hieronymo Rhodio apud Michaellem Medinam, supra citatum, duas admittebant uxores; & Socrates ipse, severissimus juris naturalis interpres, duas admisit, Xantippem, & Mirto. Item Julius Cæsar, ut refert Suetonius in ejus vita, permisit viris ut quot vellent uxores haberent, liberorum procreandorum causâ, & Valentinianus senior (teste Socrate lib. 4. historiarum cap. 31.) Severâ priore ejus conjugē adhuc vivente, Justinam duxit, ac legem tulit, ut cuique volenti liceret habere duas uxores legitimas. Demum viri sanctissimi in veteri lege plures simul uxores habuere, ut Abrahamus Sarâm & Agar, Genes. 16. Jacob Liam & Rachel, Balaam, & Zelpham, Genes. 29. & 30. Helcana Annam & Phenennam 1. Regum 1. & Moyses Mariam & Æthiopiâ Num. 12.

Respondeo gentes illas, quamvis excultas & sapientes, errasse in pluribus juri naturæ ac lumini rationis repugnantibus; præcipue verò colendo plures Deos, quid ergo mirum, quod polygamiam, seu uxorum pluralitatem admiserint, cum coliteismum, seu pluralitatem Deorum, lumini naturali magis repugnantem docuerint. Idem dicendum de Socrate, quamvis ipsum polygamiam seu uxorum pluralitatem non valde approbasse testetur Aulus Gellius lib. 1. noct. Attic. cap. 17. ubi refert quod Socrates admiranti Alcibiadi, quod duas domi ferret uxores, respondit: *Hæc domi docent tolerantiam, quâ in publico utendum est.* Euripides etiam, qui pariter duas uxores habuit, dicebat in Andromache, teste eodē Gellio, lib. 1. noct. Attic. cap. 20.

Nunquam duplicia connubia collauda,

Neque binas matres habentes liberos.

Rixas quidem domorum, tristesque offensas.

Quantum ad Valentinianum, falsum est quod

Tom. V.

Socrates loco citato de eo refert, ut ostendit Baronius tomo 4. ad annum Christi 360. licet enim Valentinianus senior Justinam duxerit, non tamen nisi defunctâ Severâ, priore conjugē. Demum quoad Abrahamum, Jacob, Moysen, & alios antiquos Patres, dicendum est, Deum in polygamia, seu uxorum pluralitate, cum illis dispensasse, ut constabit ex infra dicendis.

Obijciunt tertio: Si Rex aliquis vel Princeps duxisset in uxorem mulierem sterilem, & proles vel esset necessaria, vel maxime utilis Republicæ, ratio naturalis dictaret, ipsum in eo casu posse aliam uxorem ducere, ad suscipiendam ex ea sobolem, præsertim si prima uxor contentiret, & cederet juri quod habet in corpus mariti: Ergo polygamia, seu uxorum pluralitas, non videtur juri naturali contraria.

Confirmatur: Si polygamia legi naturæ repugnaret, maxime quia paci & tranquillitati domesticæ adversatur, ut supra ostensum est: Sed hæc ratio non valet, cum non minus difficile sit cum una femina licitiosa habere pacem, quam cum duabus modestis: Ergo &c.

Ad objectionem respondeo, concedendo Antecedens, id enim quod cadit superius determinatione, judicatur secundum quod communiter accedit, & non secundum quod in aliquo casu potest accedere, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 1. Unde licet in aliquo casu extraordinario polygamia necessaria videatur vel utilis Republicæ, non sequitur eam juri naturæ esse licitam. Nec obstat quod uxor consentiat ut maritus alteri nubat, non potest enim hoc cedere juri suo, quia bonum publicum matrimonij prohibet talem cessionem: sicut lex humana interdum prohibet, ne quæ cedat bonis propriis.

Ad confirmationem, nego Minorem, & ejus probationem; ex matrimonio enim cum una uxore, quantumvis rixosa & seditiosa, non sequitur perturbatio illa domus & economiæ, quæ ex polygamia sequitur, nimirum quod plures uxores decerent de usu rei cuique illarum propriæ, videlicet de usu corporis sui viri.

Obijciunt quarto contra secundam partem conclusionis testimonium D. Thom. 3. contra Gent. cap. 124. sic dicentis: *In omni animalis specie in quo patri in aliqua sollicitudo de prole, unus mas non habet nisi unam feminam, sicut patet in omnibus avibus, quæ simul nutriunt pullos, non enim sufficeret unus mas auxilium præstare in educatione proles pluribus feminis. In animalibus autem in quibus maribus nulla est sollicitudo de prole, indifferenter mas habet plures feminas, sicut in canibus, gallinis, & hujusmodi. Cum autem masculo inter omnia animalia sit magis cura de prole in specie ale humana: manifestum est quod naturale est homini, quod unus mas unam feminam habeat, & converso.* Ex quibus hoc potest formari argumentum: Ideo probat D. Thomas naturale esse homini, quod unus mas habeat tantum unam feminam, quia in omni animalis specie, in qua patri est cura de prole, unus mas non habet nisi unam feminam: Atqui in iis animalibus, in quibus patri est cura de prole, ideo mas non habet nisi unam feminam, quia pluralitas feminarum esset contra finem primum, quem natura intendit in conjunctione ipsorum, videlicet contra educationem proles: Ergo idem dicendum est de pluralitate uxorum in specie humana, eam nimirum esse contra finem primum matrimonij, & non solum contra secundarium, alioquin argumentum D. Thomæ nihil concluderet.

V u u 2

Respon-

62 Respondeo negando paritatem: Disparitas est, quod in specie humana unus homo sufficit plurium uxorum filiis educandis; in aliis vero animalibus, in quibus patri est sollicitudo de prole, unus mas non sufficit plurium feminarum foetibus educandis. Neque tamen ex hac disparitate sequitur argumentum D. Thomae esse inefficax, quia, ut recte advertit Ferrariensis, sensus illius est, quod sicut sollicitudo quae inest patri de prole, est aliis animalibus ratio quod una sit unus, ita & in hominibus, cum ista tamen differentia, quod in aliis animalibus sollicitudo illa impediretur immediate per hoc quod unus mas haberet plures feminas; in homine vero non impediatur immediate per polygamiam, sed tantum aliquod ex illa sollicitudine ortum habens, videlicet communis convictus & communicatio in operibus vitae necessariis inter virum & uxorem, quod est finis tantum secundarius naturae in matrimonio.

63 Obijciunt quinto: Quod repugnat essentiae matrimonii, fini ejus primario ac principali adversatur: At pluralitas uxorum sub uno viro, essentiae matrimonii repugnat: Ergo fini ejus primario ac principali adversatur. Major patet, Minor probatur. Matrimonium consistit essentialiter in mutua corporum traditione: At omnino repugnat corpus uni uxori à marito traditum, alteri similiter tradi: Ergo pluralitas uxorum sub uno viro, essentiae matrimonii adversatur.

64 Confirmatur: Apostolus 1. ad Corinth. 7. sic ait: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: sicut & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ubi vir & mulier aequiparantur, quoad mutua corporum potestatem tradendam: Ergo sicut naturae matrimonii prorsus repugnat, mulierem non ita in solidum tradere sui corporis potestatem uni viro, ut adhuc possit alteri viro eam tradere: ita similiter repugnare viri essentiae matrimonii, quod vir ita uni uxori potestatem sui corporis tradat, ut nihilominus sibi reseruet facultatem tradendi illud alteri uxori.

65 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem dico sufficere ad matrimonii essentiam & veritatem, quod vir tradat uxori suum corpus, quantum sufficit ad liberorum procreationem; unde cum unus vir plures mulieres fecundare possit, & ex illis, liberos procreare, non repugnat essentiae matrimonii, quod vir pluribus nubat uxoribus, bene tamen quod una mulier pluribus viris nubat, quia ut supra dicebamus, diversorum seminum commixtio, vel omnino impedit procreationem prolis, vel saltem illam reddit incertam ex parte patris, subindeque ejus educationi repugnat, cum educanda prolis cura praecipue patri incumbat.

66 Ad Confirmationem dico, Apostolum loqui de matrimonio in lege Evangelica, in quo est mutua & aequalis traditio corporis utriusque conjugis in solidum; quia non solum pluralitas virorum sub una uxore, sed etiam pluralitas uxorum sub uno viro, repugnat fini quem habet matrimonium in lege nova, nimirum significationi conjunctionis Christi cum Ecclesia, ut paragr. 1. ostensum est.

Aliquae difficultates circa tempus, modum, & personas, quas Deus in polygamia dispensavit inter resolyuntur.

Quaeres primo, quandotum primum licet, ut cum fuerit plures uxores simul habere. Respondeo id solum fuisse licitum post diluvium, non vero ante diluvium, nam post diluvium Abraham, Jacob, David, & alii viri sanctissimi, plures habuere uxores, quos tamen de re Scriptura non reprehendit, ut de aliis qui perperam interdum fecerunt. E contra vero cum Lamech ante diluvium duas uxores simul duxisset, a SS. Patribus, ut de flagitio de adulterio, reprehenditur. Sic enim Nicolaus Papa caus. 24. quast. 3. cap. 19. Lotharium Regem, qui duas simul uxores acceperat, alloquitur: *An non districte ultione feriendus es, qui duobus uxoribus adulterium Lamech & flagitium meritis esse dignoscitur?* Et Hieronymus lib. 1. contra Jovin. cap. 8. *Una coepta (inquit) a principio unam uxorem versa est &c. Primus Lamech polygarius & homicida, unam carnem in duas erexit vires. Fratricidium & digamiam eadem carnisque delevit pena.*

Ratio vero hujus discriminis, cur sollicitudo ante diluvium polygamia non liceret, fecit post diluvium, haec assignatur à D. Chrysostomo homil. 56. in Genes. & ab aliis communiter: quia nimirum ante diluvium longissima hominum vita faciebat, ut matrimonium unius cum una sufficeret propagationi necessariae generationi: postea vero propter vitam longe breviorum, permissum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur, & suppleretur per uxorum multitudinem defectus vitae longioris.

Licet vero aliqui existiment in lege Moysi non fuisse dispensatum in polygamia cum toto populo Judaeorum, sed solum cum Magnatibus & Principibus: oppositum tamen probabilius est. Primo quia habemus ex libro 1. Regum cap. 1. dispensatum fuisse cum Elcan, Summis patre qui habuit uxores simul Annam & Phoeniam. Secundo, quia cum Deuteronom. 2. dicitur: *Si homo habuerit duas naves, unam dilectam, & alteram odiosam, non reprehenditur, si quid duas uxores habet, siue sit de populo, siue non, sed constituitur, ut jus primogenitura cedat ei qui revera est primogenitus, etiam si natus sit ex odiosa uxore.*

Dices, si in lege Moysis omnibus passim liceret polygamia, cur Salomon 3. Regum 1. reprehenditur, quod multas duxerit & admarierit uxores?

Respondent aliqui apud Abulensem, Regum 12. quast. 5. Salomonem reprehendi non quod plures, sed quod plurimas duxerit uxores, scriptum est enim Deuterom. 17. *Recepi habere uxores plurimas.* Licet ergo (inquunt) in lege Moysis polygamia licita esset, attamen certum solum ac definitum uxorum numerum Regibus habere licebat, nimirum decem & octo: nec enim, & non plures, Davidem habuisse, affirmant Lyranus & Dionysius Carthusianus 1. Reg. 5. & 15.

Verum haec responsio displicet, non fuisse enim Regibus Hebraeorum definitum uxorum numerum, verius est, & constat ex 2. Paralip. 11. ubi Roboam dicitur: *Uxores duxi & concubinas,*

duxerat, concubinas autem sexaginta. Quod autem exat Deuteronomio 17. de non habendis à Rege plurimis uxoris, de alienigenis intelligi debet; prohibita enim cum illis fuisse conjugia, patet ex 3. Regum 11. ubi sic dicitur: Non ingredimini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestra: carissime enim auerit corda vestra, ut sequamini Deos earum. Peccatum ergo Salomonis, non in eo consistit quod plurimas mulieres uxores duxerit, sed quod alienæ regionis feminis iunctus fuerit, & ab eis depravatus, ac inducitur ut coleret deos earum. Unde statim subiicitur: Huiusque copulatus est Salomon arde-
 B rissimo amore, fuerunt illi uxores quasi Regina septingente, & concubine trecentæ, & auerterunt mulieres cor eius: cumque iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos, &c.

72 Quæres secundo, quomodo facta fuerit dispensatio in polygamia cum Iudæis, & antiquis Patribus, qui Moysen præcesserunt, an scripto, vel interna solius inspiratione & revelatione?

Respondetur hanc dispensationem factam esse per inspirationem internam, eamque non singulis, sed uni aut alteri ex Patriarchis, puta Noë, mo, vel Abrahamo. Nam ut recte ait S. Thomas in 4. dist. 3. quæst. 1. art. 2. ad 3. Quis est lex, talis est dispensatio legis; & quia lex nature non est literis scripta, sed cordibus impressa, propter hoc non oportuit dispensationem eorum que ad legem nature pertinent, lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri. Sicut ergo lex monogamiae non fuit scripta, sed primo parenti inspirata, & per eum aliis manifestata; sic etiam conveniens fuit, ut dispensatio in ea lege, non scripto exprimeretur, sed per inspirationem divinam daretur uni vel pluribus ex Patribus, per quos deinde verbo & exemplo posteris manifestaretur. Unde cum Innocentius in capite Gaudemus de divortio, ait quod nulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatio concessum, intelligi debet de revelatione immediata, vel mediata.

73 Quæres tertio, an hæc dispensatio pertineret ad solum populum fidelem, ita ut polygamia nunquam Gentilibus licita fuerit?

Respondent Soto, Sanchez, & alii, affirmative; cum enim (inquiunt) dispensatio facta non fuerit, nisi ad propagandum populum circumcissionis, non est cur ad Gentiles ampliata credatur.

Alii tamen respondent negative: Primo quia Abimelech, qui Genes. 20. describitur ut vir moraliter bonus, volebat uxori quam habebat superinducere Saran, & tamen non reprehenditur à Deo, quod duplicem uxorem velle accipere, sed quod eam qua esset uxor alterius vellet accipere. Secundo, quia in terra ubi Jacob quatuor duxit uxores, inculpabilis consuetudo erat plures uxores ducendis ex quo colligit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 47. Jacob non peccasse nubendo quatuor illis uxoribus; quia (inquit) quando mos erat, crimen non erat. Terra autem in qua Jacob torres nupit, non Iudæorum, sed Gentilium erat. Tertio, quia Esau Genes. 26. & 28. plures etiam uxores habuit duxit, neque ob id reprehenditur, neque ullus ex Gentilibus ejus temporis. Demum, quia alias matrimonium Esther cum Assuero, non fuisse verum matrimonium; licet enim Vathi prius repudiaverit, tamen cum dissolutio matrimonii

Tom. V.

A per repudium, non minus sit contra legem naturæ, atque adeo non minus dispensatione indigeat, quam polygamia, non est cur potius in illa, quam in ista, dicatur cum Gentilibus divinitus dispensatum.

Quod si objicias, causas dispensationis in polygamia non habuisse locum in Gentilibus.

Respondetur hoc falsum esse, nam in primis multiplicatio posteritatis, quam D. Augustinus lib. 16. de civit. cap. 38. expresse ut causam talis dispensationis, non addendo populi fidelis, locum habuit etiam in Gentilibus. Deinde non defuit mysterium in tali dispensatione, siquidem hæc conjunctio plurium uxorum ad unum virum, significare potuit, etiam in Gentilibus, unionem diversorum populorum ad unum Christum.

Si istes, & dicas, posito quod conjugia Gentilium cum pluribus uxoris, fuerint ex divina dispensatione legitima, ante adventum Christi, sequi quod nunc etiam sint legitima, quia lex Christiana nihil immutavit in conjugis Gentilium. Respondetur negando sequelam, quia Christus reduxit omne conjugium sive Christianorum sive Gentilium ad primam institutionem: prima autem matrimonii institutio, polygamiam excludit, ut ex verbis illis Christi Matthæi 19. Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una: colligit Nicolaus I. & D. Hieronymus, quorum verba supra paragr. 2. retulimus.

DISPUTATIO II.

De Matrimonio ut Sacramento est.

Ad Questionem 42. Supplementi.

Considerato matrimonio, ut contractus civilis est, & in officium naturæ, consequens est ut ipsum, prout auctoritate Christi ad esse Sacramenti elevatum est, contemplerur, & de ejus existentia, essentia, causis, proprietatibus, aliisque ad ipsum spectantibus, in hac & sequentibus disputationibus, disseramus.

ARTICULUS PRIMUS.

Virum Matrimonium sit verè & propriè Sacramentum, conferens gratiam?

Partem negatam tenent Lutherani & Calvinistæ, qui non modò expresse negant, matrimonium conferre gratiam, sed dicunt illud non magis esse Sacramentum, quam sit agricultura, constructio, sutoria, & similia. Durandus etiam in 4. dist. 26. quæst. 3. negavit rationem Sacramenti ullò modo matrimonio convenire; sed cum apud Catholicos ob sententiam illam male audiret, in posteriori editione illam aliquo modo temperavit, & dixit (teste Capreolo in 4. dist. 26. quæst. unica art. 3.) matrimonium esse quidem Sacramentum, eo modo quo Sacramentum sumitur pro signo rei sacræ, ne npe quatenus est signum conjunctionis inter Christum & Eccle-

Vuu 3

fiam;